



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib.  
XII**

**Caesarius <Heisterbacensis>**

**Antverpiae, 1605**

De Abbate, qui in Baioaria incendio suffocatus, post morte[m] miracula  
fecit, cap. 26.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

in refrigerio erunt: multis enim causis omissis, quæ assignari possent, quare id Dóminus permittat, vna est, vt virtutes eorum occultæ patefiant.

## CAPUT XXVI.

*Iustos in  
terdum  
violentia  
morte  
interire.*

**A**nte hoc quinquenniū, qui nunc est dux Baioariæ, vnum ex Abbatibus ordinis nostri ad se vocauit, nescio quid cum eo tractatus; nocte præparatus est ei lectus in horreo, qui cùm dicto cōplerorio iisset cubitum, lumen, quod a Convento posti fuerat infixum, in stramen cecidit, & in flamas profecit: à quibus Abbas excitatus, cùm ostium exire non posset, in modum crucis se in terram prosternens, exitum suum Domino commendauit. Comperto incendio, dux cù militibus & omnibus qui aderant accurrit, rejectisque lignis ac stipulis, Abbatem semiustum atque extinctum extraxerunt: & ecce circa pectus eius apparuit capsella cum reliquiis, ventre verò eius catena ferrea stringebat; quibus visis, dux compunctus dicebat: Videte quod sancto isti vita vestimentorum asperitas sufficere non potuit, nisi etiam catenam superadderet. Sepultusque est Ratisbona in Ecclesia maiori. Post dies paucos, cùm duo milites in eodem loco Missam audirent, unus sepulcrū eius ascendit. Ut autem Deus ostenderet, qualis esset mériti illuc tumulatus, miles tam vehementer in pedibus ardere coepit, vt desiliens clamaret: quo comperto, alter respondit: Sepulchrum est illius combusti Abbatis. Ex illa die, habitus est in eadem Ecclesia in magna veneratione.

## CAPUT XXVII.

*Mors bona eorū,  
qui alio quando  
malè uti-  
cerant.*

**I**n ecclesia sancti Maximini in Colonia tempore meis quidam fuit inclusus cœnobij eiusdem initiator: est enim illic congregatio sanctimonialium. Hic ante conuersationem concubinam habuerat, & quia simul peccauerant, similem suscep- runt pænitentiam adeò duram, vt vterque circulo ferreo ventre suum ligaret. Ipse verò in prædicto loco se includēs, Missas suas celebrādo, Domino vacabat, cui illa foris in habitu religioso ministrabat necessaria. Adu-